



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

Lectori S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

LECTORI

S.

Scripsi, mi Lector, ante plures annos
Breuem hanc, quam vides **NOTI-**
TIAM. Scribendi verò occasio fuere Sa-
cerdotes nonnulli, quibus consultum vo-
lui. Ij nimirum, cum, suscepto paulò ante
Sacerdotio, proximorum saluti procu-
randa, in audiendis confessionibus suam
navare operam statuissent; Sacramentè
Pœnitentiæ dignitatem: & rei magnitu-
dinem; in qua proximè salus animorum
agitur, prudenter perpendentes, sollicitè
nimium erant de suo scientiæ apparatu,
an tantæ rei tractanda satis futurus esset.
Me ergo precibus impulere, vt eorum, quæ
ad confessiones excipiendas scitu vel ne-
cessaria, vel valde vtilia existimarem,
notitiam, paucis complecterer: id enim, &
indoctis posse, aiebant, veluti scopum præ-
figere, ad quæ non facilius in comparandâ
harum rerum scientiâ collimarent: &

An 2

diu-

AD LECTOREM.

doctiorum animos, qui eorum omnium, quae hic continentur, conscij essent, pacatiores redderet, ne fortè vnquam temeritatis scrupulus pro suscepto Confessarij munere inijceretur. Scriptum opusculum diu inter plurimorum manus versatum auidè exscribebatur: cum iussu Reuerendissimi Domini D. Ioannis Antonij Gelsi Abbatis, & in Metropolitana Panormi Ecclesia Vicarij Generalis, Confessariorum bono, quae ipsius pietas est, diligentissimè consulentis, in lucem editum primum est typis demandatum: idque etiam saepius factum. Nam intra duos circiter annos septies praelum subiit, Panormi, Messanae, Venetiis, Romae. Persuasum mihi tandem est, vt eandem Notitiam perficerem eam tractans materias, quas olim minus necessarias existimans praeterieram: & imposta veluti coronide, meoque inscriptam nomine, vt prodesse pluribus possit, in lucem emitterem. Pro-

dit

AD LECTOREM.

dit ergo hæc NOTITIA, quæ ferè omnes quidem complectitur materias Casuum Conscientiæ. Non hic tamen reperies quæ omnia in tanta rerum amplitudine dici possent; sed quæ abundè esse queant Confessario, vt de singulis, vel decernat, vel prudenter saltem dubitet. Non recenseo hic opiniones omnes in singulis questionibus, sed ea solùm, quæ ita probabiliora, ac tutiora videntur; vt si ijs Confessarius adhererit, nequeat vnquam scrupulis angî, & me apud iustissimum animorum iudicem pro illo vadem sine meo discrimine possim exhibere. Ne tamen alias lectori opiniones inuiderem, & quæ propono Doctorum testificatione confirmarem; vbi oportet Auctorum nomina, & loca recenseo, quæ consulere possit. Stylus planus erit, facilis, ac dilucidus, sed in quo verba non redundant. Quare, eos, qui primùm hæc ediscenda accedunt; ne fortè à meo aberrant mente, rogo ne

AD LECTOREM.

facilè verba praterent, sed de suo dubi-
tent sensu, si ad eum aliqua ex meis ver-
bis superflua esse videantur. Caterum
Vale, & huius Notitiæ bono fruere, si tibi
utilem esse compereris. Panormi primùm,
Iterum Romæ 18. Februarij 1643.



IN-